Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De iustistia et iure - Cod. Ettenheim-Münster 197

Bach, Iacobus

[S.l.], 1636

Sectio III.

urn:nbn:de:bsz:31-117148

Visual Library

impedit suum errorem, imputabitur iam ei quasi conservanti id propter inadvertentiam inculpabilem prius non imputabatur.

SECTIO III.

Utrum Judex existens in peccato mortali vel excommunicatus possit validè et licitè iudicare.

De existente in peccato mortali fuit error aliquorum qui dicebant illum eo ipso carere omni iurisdictione et ipsius sententiam esse irritam, ut referunt Waldensis tom. 2. de Sacris cap. 3. et Soto in 4to dist. 1. q. 5. art. 5. quam etiam sententiam docuit Armacanus de quaestionibus Armenorum lib. 10. cap. 4. hic tamen error damnatus in Concilio Constant. sess. 8. et 15. et impugnatur a praedictis Authoribus et a S. Thoma 4 contra gentes cap. 77. videatur Valentia in praes. disp. 5. q. 10. puncto 3. qui hoc ex Scriptura et PP. probat, Suarez lib. 3. de legibus cap. 10. et alii multi, quos congerit Salas disp. 7. de legibus sect. 15. Ratio a. a priori est, quia dominium et iurisdictio fundatur in libero hominis arbitrio quod per peccatum non destruitur et sicut pater adhuc post peccatum manet pater et habet potestatem in filios, ita superior manet superior et habet potestatem in subditos. a posteriori etiam probatur: quia alioquin nihil esset certum in praeceptis superiorum, nunquam enim constare posset de statu gratiae et sanctitatis in praecipiente, ac per consequens semper dubitaremus de eius potestate, quod esset magnum inconveniens ad regimen humanum.

Hinc etiam dicendum est per se loquendo Iudicem peccatorem tam Ecclesiasticum quam saecularem non peccare in administratione sui muneris, ut docet S. Thomas in praes. q. 60. art. 2. ad 3. Caietanus ibi, Soto lib. 3. de Iustitia q. 4. art. 2. ad 3. quia reddere alteri quod ipsi debetur, non est actus prohibitus peccatori et nec actus iudicii, qui est actus Iustitiae. dixi tamen per se loquendo, quia potest aliquando per accidens esse peccatum grave propter scandalum, potest enim aliquando subditi graviter scandalizari atque ad impatientiam et alia peccata incitari, videntes superiorem vel Principem eodem peccato gravius infectum punire et condemnare graviter illud idem peccatum in subditis, quod etiam generat contemptum Iustitiae, et in hoc sensu intelligi etiam potest illud Pauli ad Rom. 2. in quo iudicas alterum,

alterum, teipsum condemnas; eadem e. agis quæ iudicas. licet possit etiam aliter hoc illegi quatenus ille iudicando alium poena dignum iudicat etiam implicite se dignum eadem poena ppter simile peccatum. Secluso tamen scandalo gravi, Iudex potest etiam condemnare cum humilitate et tremore, vt monet S. Thomas; vnde August. 2 de serm. Dni in monte cap. 30: si nosipsos, inquit, inuenerimus in eodem esse vitio, congemiscamus et ad pariter cavendum inuitemus.

De Iudice Excommunicato variæ sunt DD. sententiæ, quas congerit Thomas Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 22. num. 22. et segq. Prima docet non valere eius acta quando Excommunicatio præcessit adeptionem officii, quia ratione Excommunicationis erat incapax vt eligeretur ad illud officium. 2da docet non valere eius acta si excommunicatione ligatur etiam occulta quando actu iudicat. Tertia docet valere eius acta si sit Iudex ordinarius, secus si sit delegatus. Quarta docet valere nisi Iudex sit hæreticus etiam occultus.

Communis tamen et verior sententia distinguit, quidam e. dicuntur Excommunicati tolerati, alii non tolerati, hoc est, quibus non possumus communicare etiam post decretum Concilii Constantiensis, qui nempe sunt nominatim denunciati vel notorii percussores Clerici. De prioribus Excommunicatis docet valere eorum acta. de posterioribus negat. Primam partem tenent plures antiquiores quam et moderni, quos refert Sanchez vbi supra num. 32. Lessius dicta dub. 7. num. 57. Suarez tom. 5. de Censuris disp. 16. num. 7. Avila de Censuris parte. 2. cap. 6. disp. 6. dub. 3. et alii recentiores communiter.

Ratio autem est, quia cum Concilium Constantiense induxerit communicationem cum cæteris excommunicatis ad evitanda scandala et pericula peccatorum, eo ipso videtur velle eorum actus iudiciales esse validos, frustra e. concederetur communicatio cum Iudice, si postea eius acta nullum haberent valorem, nec satis consultum esset scandalis et periculis fidelium, et ita receptum videtur communi omnium praxi tam in foro quam interno quam externo, nec vllus contra sententiam latam a Iudice excommunicato tolerato reclamat quasi contra sententiam invalidam.

2da verò pars quod scilicet sententia Iudicis excommunicati non tolerati non sit valida, est etiam communis eorundem Authorum, eam verò probat Sanchez num. 36. ex capite exceptionem. ad finem de exceptionibus. capite aduersus versic. quia verò de immunitate Ecclesiarum capite j. de officio Vicarii lib. 6. hæc tamen iura vel solum probant posse Iudicem excommunicatum repelli a iudicando, vel ad summum proce=

dunt

dunt solum de Judice Ecclesiastico, unde Suarez dicta sect. 1. fatetur hanc conclusionem difficile posse probari, standum tamen esse communi consuetudini, quae, si coetera abessent, sufficit ut iam haec ablatio iurisdictionis transierit in vim legis, et quidem cum fundamento in ipso iure, nam capite penult. et ult. 15. q. 6. omnes illi qui subiciuntur excommunicatis, absolvuntur a subiectione et obedientia eis debita. Ergo excommunicati privantur iure et potestate iudicandi illos tanquam subditos, non potest enim quis manere non subditus si superior adhuc perseverat superior. ratio item fuit, quia excommunicatus eiusmodi debet ab omnibus vitari ergo debuit auferri ab eo iurisdictio, quâ stante non potest non perseverare communicatio cum subditis. Denique ob hanc rationem excluduntur a munere actoris ac testis ergo a fortiore excluduntur a munere Iudicis, quod est magis publicum et honorificum.

Hinc infertur primo doctrinam conclusionis procedere non solum in alijs excommunicatis sed etiam in haereticis, quamdiu enim non sunt denunciati valida est eorum sententia, quia post Concilium Constantiense, sicut non tenemur vitare alios excommunicatos non denunciatos aut Clerici percussores, ita nec haereticos, ut cum alijs tenet Thomas Sanchez ubi supra num. 38. et hoc modo limitandus est textus in capite excommunicamus primo §. credentes de haereticis.

Infertur 2do eandem doctrinam procedere tam in Iudice ordinario quam delegato, utriusque enim sententia valida est si sint tolerati, invalidae verò si non sint tolerati, de utroque enim Iudice loquitur Concilium Constantiense sine ulla differentia, ut observat Sanchez num. 39. et rationes supra adductae eodem modo de utroque procedunt.

Infertur 3tio eandem doctrinam aeque procedere in iurisdictione spirituali et in temporali, quare eadem regula adhibenda est ad iudicandum de valore absolutionis sacramentalis et aliorum actuum iurisdictionis spiritualis, nam Confessarius nominatim excommunicatus vel notorius Clerici percussor, non absolvit validè poenitentem nisi in articulo mortis, qui autem est aliter excommunicatus validè absolvit, ita Suarez ubi supra disp. 14. sect. 1. de censuris, et Sanchez cum alijs num. 35.

Restat difficultas an praedicti Iudices excommunicati tolerati sicut validè, sic etiam licitè exerceant suum munus quamdiu absolutionem non obtinent. Duplex est sententia, prima docet eos peccare mortaliter, quia Concilium Constantiense suo decreto non intendit in aliquo indulgere ipsi excommunicato, sed coeteris

Fide-

fidelibq cum ipso coicantibq & excoicatq adhuc tenetur praecepto Ecclastico abstinendi ab administrace sui muneris, sicut tenebatur ante decretum illius Concily, quod quidem praeceptum videtur ee de re gravi, nam prolao sentiae etiam in rebus temporalibq videtur ee actq gravissimq & peccat mortaliter sidem iudicando contra Eccliae prohibitionem. hanc tenet Suarez disp. 16. de Censur. sect. 1. Lessiq dicta dub. 7. num. 59. & aly multi.

2da sentia docet ee solum peccatum veniale. hanc tenet P. Henriquez de excoicatione cap. 7. Bartholom. a Ledesma dub. 9. de excoicatione. Thomas Sanchez dicto lib. 3. de Matrimon. disp. 21. num. 6. Avila de Censuris 2. parte cap. 6. disp. 6. dub. 3. & aly quos ipsi afferunt, qui universaliter docent non intervenire culpam gravem ibi nisi adsit iniustitia, scandalum, contemptq, vel aliud simile. & quidem utraq sentia videtur probabilis, loquendo de sentia in foro externo, & neutra facile oppugnabitur. possumus a. pro 2da sentia addere aliam doctrinam aliquorum qui dicunt excoicatum toleratum quoties non est in mora petendi absolutionem, nec ptt eam pro tunc obtinere, & ab alys fidelibq invitatur ac inducitur, poe licite cum eis coicare, & eis etiam Sacta administrare, qa alioquin videretur inutile indultum aliorum coicandi cum illo, si ipse non poct ab alys requisitq cum eis coicare, iam &. coeteri tenerentur praecepto nali vitandi scandalum abstinere ab eius coicatione ne darent illi occasionem peccandi, atq ideo maneret magna ex parte ydem scrupuli & perplexitates quos Concilium Constantiense voluit auferre. cum ergo sibi statuatur licere fidelibq cum ys excoicatis coicare in oibq, eo ipso videtur, non quidem in favorem excoicati sed in favorem aliorum, permitti excoicato ab alys requisito eiusmodi coicao. Ita docet late Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 9. num. 8. vbi plures refert, quam etiam sentiam probabilem censet Avila dicto cap. 6. disp. 8. dub. 3. & segq. debet tn limitari haec doctrina, vt illigatur de administrace, activa Sactorum, non de passiva susceptione, nemo e. concessit poe Sacerdotem excoicatum toleratum celebrare ad simplicem petitionem cuiuslibet ~~petitionis~~ fidelis volentis audire Missam, imo aliqui nominatim excipiunt eum casum pp reverentiam Sacrificy, ego tn credo raoem ee, qa tunc Sacerdos non solum active se ht, sed passive recipiendo Sactum, qua receptio e etiam prohibita excoicato excoicatione minori, & a for=

& a fortiori illi iter prohibita excoicato excoicaoe ma=
iori, ne sit melioris rao conditionis. illa ergo solum vident
concedi excoicato in favorem aliorum quæ illi erant prohibita
in ordine ad alios, n vero quæ st prohibita in ordine ad se & sine
respectu ad alios qualis ē receptio parrua Smt.
Ex hac ergo doctrina redditur etiam probabilis
2da sentia supraadducta qd Iudex n peccet quando cum excoi=
caōe tolerata iudicat saltem si id faciat requisitus a subditis.
In rursum .a. probari videtur saltem in Iudice saeculari, qa ē illa
ē mere coicaō civilis, quare sicut coicaō Dni cum servis aut
famulis n ē peccatum grave nec etiam coicaō Iudicis quæ
fit in actibus iudicialibus videtur eē culpa gravis. de Iudice
Ecclesiastico poēt magis dubitari, qa eius actus videntur eē magis
spirituales, adhuc tn videntur multum habere de coicaōe
civili, & ideo dixi utramq sentiam videri probabilem quoad iu=
dicium in foro externo.
Hinc infero primo, Excoicatum n toleratum
peccare dupliciter proferendo sentiam in iudicio. primo con=
tra præceptum Ecclia prohibentis illum actum coicaōis. 2do
contra Iustitiam exercendo iurisdictionem in eos in quos pro tunc
nullam iurisdictionem ht. hinc a. oriri qt dubium: an Iudex
ille teneatur ad restitutionem damni bis litigantibus secuti ex
illis actibus iudicialibus. & quidem certum videtur teneri ad res=
tituendas expensas quas ea de caā inutiliter fecerunt litigantes
qui pp nullitatem sentiæ & reliquorum actuum tenentur postea
iterum peragere eandem caām. hoc, inquam, videtur certum,
licet Soto in 4. dist. 22. q. 2 art. 4. col. 4. solum dicat Iudicem
illum forte teneri ad restituendum pro illis expensis inutilibus.
sed certe de illis expensis, nulla videtur eē rao dubitandi.
Dubium eē pt de damno per ipsam sentiam illato,
si v:g: Iudex reum aliorum dignum ea poena condemnavit ad
solvendam summam pecuniæ, an postea Iudex teneatur reo res=
tituere illam summam pecuniæ quam per sentiam invalidam
coactus fuit solvere. Item si eiusmodi Iudex aliquem capite
damnavit an teneatur eius filys vel uxori restituere eo modo
quo homicida iniustus teneri solet.
De hoc dubio n agunt DD. & videtur eē rao
dubitandi pro utraq parte; qd es. n teneatur ad restitutionem
probari videtur, qr damnum n consequitur ex circumstantia Ex=
coicaōis sed ex occisione v:g:, occisio a. poterat ab eodem

Iudice

Iudice ad modicum tempus licite praecipi obtenta prius absolutione ab Excommunicatione, parum enim videtur referre quod ille reus condemnetur a Iudice excommunicato, si tamen facile poterat ab eodem absoluto aeque condemnari, Iniustitia enim tota versatur tunc in modo, non vero in substantia, modus autem iniustus non videtur sufficere ut Iudex obligetur ad restitutionem, sicut si iniuria consisteret in ipsamet substantia et ad summum tenebitur Iudex ad id quod interest reo non fuisse condemnatum eo modo sed post obtentam absolutionem.

Confirmatur: quia si aliquis, cui est interdictus ingressus in Ecclesiam, violaret hanc prohibitionem et ingressus in templum suaderet tibi ne institueres Petrum haeredem, peccabit quidem contra prohibitionem Ecclesiae et interdictum quo durante non poterat in illo loco impedire Petro haereditatem, non tamen tenebitur Petro restituere, quia facile poterat expectare egressum suum ex templo et idem tibi persuadere et eodem modo in praesenti etc.

Aliunde vero quod Iudex teneatur ad restitutionem secundum substantiam, probari videtur: primo quia vere occidit per iniuriam reum, nam illa sententia continet manifestam iniuriam, ut videntur supponere communiter DD. et ratio est clara, quia est sententia prolata a non Iudice, seu ab eo cuius iurisdictio est impedita et est sententia prolata in non subditum, et per consequens est occisio facta per authoritatem non publicam et iuridicam sed privatam, in quo formalissime consistit malitia homicidii, damnum autem quod sequitur ex actione iniusta obligat ad restitutionem ex radice iniustae acceptionis et damna in hoc casu non minus debent restitui quam si sequerentur ex homicidio facto a qualibet alia persona privata.

2do quia Iudex extrahens aliquem ab Ecclesia tenetur ad damna quae ei obveniunt per illam extractionem, ut ex communi sententia videbimus sectione sequenti et Iudex etiam qui contra Ecclesiae prohibitionem condemnat dum est excommunicatus intoleratus tenebitur ad damna, tam enim caret potestate ad hoc quam ad illud et utrumque ex prohibitione eiusdem Ecclesiae. Tertio quia licet ego sciam Petrum vita vel fortunis ab hostibus datis spoliandum si tamen eum iniuste spoliem vel occidam teneor ad restitutionem et licet Iudex sciat reum statim obtenta absolutione fore iuste damnandum, si tamen prius eum iniuste condemnat, tenebitur ad restitutionem.

Hoc dubium tetigit novissime sed breviter

Thomas

Thomas Sanchez lib. 3. consil. cap. unico dub. 58. ubi probabilius existimat Iudicem teneri ad restitutionem, dicit tamen esse valde probabile non teneri, quia valde probabile est non teneri ad restituenda damna quando condemnavit quem extraxerat ab Ecclesia, de quo dixerat dubio praecedenti & idem dici poterat in hoc casu. hoc tamen argumentum mihi non videtur efficax, quia quidquid sit de antecedenti, de quo sectione sequenti dicemus, alia est ratio in casu nostro, in quo Iudex propter excommunicationem non toleratam privatur procul dubio iurisdictione; quare undecunque proveniat illa carentia iurisdictionis sive in favorem rei sive in odium Iudicis, verè tamen iam non est Iudex & est homo privatus, & per consequens non magis potest punire delinquentem quam quilibet alius privatus homo & sicut alius inferret iniuriam delinquenti si eum puniret, sic Iudex ille excommunicatus. in casu autem antecedentis non est certum quod Iudex privetur iurisdictione, & ideo ex illa incertitudine potest esse probabile quod non peccet contra Iustitiam.

In hoc dubio ergo fatendum videtur inprimis illam sententiam prolatam ab excommunicato non tolerato esse actionem iniustam utpote prolatam ab illo qui pro tunc non habet iurisdictionem expeditam, atque ideo per se loquendo obligare ad restitutionem pro damnis, per accidens tamen frequenter excusabitur Iudex a restitutione, quia non debet restituere nisi secundum spem quam reus habebat evadendi illud periculum si non fuisset condemnatus antequam absolutio ab excommunicatione obtineretur, non enim tenetur restituere nisi in quantum moraliter fuit causa iniusta illius damni, non autem censetur causa illius damni quod iam erat certò praeparatum. sicut si aliquis comburat domum alienam quae statim fluminis inundatione debebat perire non tenetur ad restitutionem. similiter si aliquis occidat hominem iam ex aegritudine moribundum licet peccet, non tenetur ad restitutionem nisi pro ratione spei quae potuisset esse evadendi ex illo periculo; ratio autem est, quia res in illo statu non retinet eum valorem quem habet extra illud periculum, atque ideo non inducit obligationem tantae restitutionis.

Dices: si quis accipiat vestem vel aliquid aliud ex domo quae iam comburitur, adhuc tenetur postea restituere quod accepit licet certissimè esset comburendum & similiter Iudex in nostro casu tenetur, licet reus postea fuisset certissime damnandus. Respondeo negando consequentiam, nam in casu Antecedentis ille non tenetur ratione iniustae acceptionis, sed ratione rei acceptae, quae quamdiu existit,

manet

manet semper sub dominio prioris Dni, in nostro autem casu Iudex solum tenetur ratione iniustæ acceptionis, quare non debet attendi nisi quatenus fuit causa damni vere subsecuti per iniustam actionem Iudicis. videatur Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 15. ubi eam regulam late explicat & defendit.

Hinc patet ad rationes dubitandi, illæ enim quæ afferuntur pro parte negatiua probant nostram conclusionem; quæ vero afferuntur pro parte affirmatiua facile dissoluuntur. Ad primam dicimus Iudicem illum peccare quidem peccato iniustitiæ contra Rempublicam in quam usurpat iurisdictionem quam non habet, peccaret etiam fortasse peccato iniustitiæ in ipsum reum quem sine iurisdictione iudicat, & ergo quem inuitum exercet potestatem quam iure non habet, atque adeo videtur inferre violentiam; cœterum quia ex illa actione non subsequitur damnum permanens non tenetur postea ad restitutionem.

Ad secundam negamus consequentiam, quia in casu Antecedentis Iudex infert damnum quod alias non sequeretur si reus mansisset in Ecclesia; in nostro autem casu infertur damnum quod eodem modo sequeretur, licet Iudex non condemnasset reum ante obtentam absolutionem.

Ad tertiam negatur consequentia sicut ad 2dam, quia in casu Antecedentis si hic non spoliasset Petrum, ille alius iniustus spoliator qui superventurus erat maneret cum obligatione restituendi & qui prior spoliat debet manere contrahere eandem obligationem quam contraxisset prior ille spoliator. at vero in nostro casu Iudex aufert a reo aliquid quod postea erat ab ipso iuste auferendum sine ullo iure ad restitutionem, ideo dicimus nullum damnum æstimabile illi intulisse auferendo illud quod iuste erat ei statim auferendum.

Infero secundo hoc ipsum dicendum esse si Iudex in die festo pronunciet sententiam vel exerceat aliquos actus forenses, quia omnes sunt prohibiti et invalidi si eo die fiant, ut constat ex Auctoribus & textibus, quos adducit Suarez tom. j. de Religione tractatu 2do. cap. 30. si enim per huiusmodi

senten=

sententiam invalidam aliquod damnum sequatur
quod alioquin non sequeretur, debet Iudex pro illo dam=
no restituere, secus verò si illud damnum eodem modo
sequi debebat die sequenti, in qua die liberè et validè
poterat eadem sententia proferri. Deniq eodem
dicendum erit de sententia prolata a Iudice Laico
in templo vel loco sacro, supposito quod illa etiam
sententia ratione loci sacri sit invalida: de quo
idem Suarez ubi supra libro 3. cap. 4. num. ~~14~~. 13.
nam de illa sententia invalida ē de obligatione ad
restituendum pro damno ex ipsa sententia prolata
secuto eodem modo dicendum est.

SECTIO IIII

Alij modi quibus peccat Iudex usurpatione iudicij sine debita Iurisdictione?

Supponendum ē ex Soto lib. 5. de Iustitia q. 4. art. j.
Lessio lib. 2. cap. 29. dub. 6. ē alijs coiter, multiplici=
ter contingere quod aliquis hat iurisdictionem in alium.
Primo ordinariam ut Pontifex ht in oēs Christianos, Rex
in suos subditos &c. 2do delegatam a Superiore prout
ht Legatus Papæ vel alij similes. 3tio ex consensu alterius
qui se submittit, ut contingit in Iudicibus arbitris qui ex
consensu partium constituuntur, qui tn qa n hnt auctori=
tatem publicam licet point sua sentia ligare, n tn pout
cogere ad observandum, ut docet S. Thom. in præs. q. 67. art. j.
ad 2. Soto, ubi sup. art. 3. ē alij. 4to sortitur quis iurisdicti=
onem rōne delicti commissi in eius territorio cap. postulasti
ē cap. fin. de foro compet. 5to rōe contractus, domicilij, vel rei
de qua litigat. 6to rōe iniuriæ ut si subditus unius Principis
passus sit iniuriam a subdito alterius, qui interpellatus nolit punire
suum subditum, poterit petere vindictam a suo Principe.
his suppositis.

Regula